

labore suo servabit et habebit⁴). Ut autem haec nostrae appropriationis unionis traditionis et incorporationis donatio perpetuae firmitatis robur obtineat ac stabilis et inconvulsa iugiter perseveret, praesentes litteras scribi et nostri autentici appensione sigilli fecimus communiri. Datum in castro nostro Mogelin anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, sabbato infra octavas corporis Christi.

Et nos Heinricus praepositus, Nicolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis suprascriptis appropriationi, — ac omnibus aliis et singulis expressum nostrum adhibuisse et praesentibus adhibere consensum publice profiteamur, harum, quibus maius sigillum⁵) nostri capituli in signum consensus nostri appensum est testimonio litterarum. Datum et actum ubi supra.

Nach zwei Ausfertigungen im Stiftsarchiv zu Meissen (A) und im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden (B) mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels, das bei A jetzt fehlt, an Pergamentstreifen.

⁴) *habebit et servabit*. Die Worte *Residuos — servabit* sind im B. am Schlusse, vor der Genehmigung des Capitels mit dem Beisatze *Datum ut supra* nachgetragen. ⁵) *sigillum maius* B.

No. 644. 1376. Juni.

B. Johann II. fordert den Dechant, den Probst zu St. Afra und das Capitel auf, sämmtliche Geistliche der Stadt zu feierlichen Bittgängen in der Woche nach dem Feste des h. Leichnams zu veranlassen, um Gottes Gnade zum Gelingen der vom Kaiser Carl IV. beabsichtigten Erhebung und Krönung seines Sohnes Wenzel zum König über Deutschland zu erleben.

Dei et apostolicae sedis gratia Misnensis episcopus Jo. honorabilibus et sapientibus viris dominis B. decano, Frede. praeposito canonicorum et capitulo Misnensis ecclesiae nostrae, fratribus nostris in Christo carissimis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Quia serenissimus ac invictissimus princeps et dominus dominus Karolus quartus Romanorum imperator semper augustus et Bohem. rex dominus noster metuentissimus affectione sincera, qua tranquillum statum Christianae plebis prosequitur, animo delibato et prima maturitate sui consilii ad hoc iam vadit et nititur, quod illustris ac magnificus princeps et dominus dominus noster W. Bohemiae rex filius eius Romani regni claro diademate coronetur, ut et multiplicata eius potentia pace fruamur in domino et affectio tranquillitatis, quae viget in caesareae virtutis fructuosa propagine, in posteris derivetur. Quapropter devotionem vestram hortamur in domino, quatenus acceptis praesentibus universis plebanis et rectoribus ecclesiarum civitatis Misnensis solempnem processionem velitis indicere, religiosos eiusdem loci exhortantes in domino, ut processiones similiter faciant incipiendo a dominicae, quae est infra octavas corporis Christi per totam sequentem hebdomadem singulis diebus singulas visitando ecclesias cum canticis et laude divina, quodque populum exhortent, ut pro bono successu et eventu felici coronationis praedictae devotis orationibus misericordiam domini deprecantur. Nam omnibus et singulis, qui processionibus huiusmodi interfuerint, de pietate altissimi et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate habentes fiduciam XL dierum indulgentias de iniunctis sibi poenitentis relaxamus. Datum in castro nostro etc.